



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Dominus interrogat iustum & impium, qui autem diligit iniquitatem, odit
animam suam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

obsequium se prestare deo, dum destruunt leges dei & seducunt in occulto re-
ctos cordis, uidenturq; sibi leges statuere & errantes recta docere, perpetuo hanc
Allegoriam ludentes contrariam piorum Allegoriam: Cum ergo omnia prae-
reant iusta aure, ad oculos domini referenda est uniuersa causa. Sicut Hier. xj.
Turris domine Zabaoth qui iudicas iuste & probas renes & corda, uideam
rationem tuam ex eis: Tibi enim reuelauit causam meam.

Palpebrae eius interrogant seu probat filios hominum, applicat particulariter,
quod dixerat generaliter: Oculi eius uidet, id est sunt aperti & omnia uident,
num precipue filios hominum non modo uident, sed etiam examinant, pro-
bant & discernunt. Palpebras has dei Aug. ad scripturas sanctas refert, quae in *Palpebrae dei*
alio loco aperte, in alio clausae sunt, pulchra tropologia. Alij aliud. Mihi p sim
plicitate literae Allegoria placet, ex hominib; sumpta, praesertim Magnatibus,
quorum est, potissimum oculorum nutu agere, quos enim fauore dignantur,
clementer apertis oculis intuentur, quos uero abominantur, clausis oculis, &
premissis palpebris, aut truculenter in altum surrectis auersantur. Itaq; palpebrae
dei super pios clementer apertae sunt, sed super impios, aut clausae aut truces
surrectae. Quae duo psal. xxxiiij. sic dicuntur: Oculi domini super iustos, & au-
res eius in preces eorum. Vultus autem domini super facientes mala, ut perdat
de terra memoriam eorum. Aliter ergo se habent palpebrae dei super iustos, &
impios, ut mox ipse se exponet, quia examinat & uidet omnes filios hominum,
sed iustos approbat, impios damnat. Quod tñ iterum in spiritu dictum, donec
impleatur, sola fide capitur, cum impij longe contraria de se opinentur.

Dominus interrogat iustum & impium, qui autem diligit iniqui-
tatem, odit animam suam.

Aliter habet distinctio in hebraeo, scilicet: Dominus iustum probat & im-
pium, & diligentem iniquitatem, odit anima sua. Et nomen iustum, ante uer-
bum, interrogat, ponitur, ut incertum sit, an dominus iustus, iusti, iustum,
transfere debeamus. Nam & Hieronymus priorem partem, sic absoluit: Do-
minus iustum probat, deinde impium copulat cum diligente iniquitatem, ad
uerbum odit, non ad uerbum, probat, ut mihi prope suspitio fiat, hanc partem
(Dominus iustum probat) absoluta sententia id ualere: Dominus iustus pro-
bat (id est, probator est) hoc est, ille qui probat omnes & examinat, non est ho-
mo qui mentitur, sed ipse dominus, qui iuste iudicat, quem nemo fallit, nemo
corrumpit, nihil latet. Quomodo psal. vii. dictum est in uersu: Consummetur
nequitia peccatorum & diriges iustum, scrutans corda & renes deus iustus.
Ut idem sit: Scrutans corda & renes deus iustus, quod hic dominus iustus
probat. Verbum enim *probat* & interrogat, a uerbo scrutans nihil differt
in significato, cum eam significet probationem, qua aurum in igne probatur,
exploratur, interrogatur, quod unum est scrutari. Ita deus, quia non sed in fa-
ciem iudicat, sed spirituum ponderator est, palpebras suas aperit, aut claudit,
sed in quod probus, uel reprobus fuerit inuentus spiritus filiorum hominum,
ideo merito iustus probator uocatur. Quare mea temeritate uersum per cola,
& comata sua, sic distinguo: Dominus iustus, probat, & impium & diligen-
tem in iuriis odit anima sua. Ut sit sensus: Dominus est iustus, & ipse probat,
ideo anima eius odit & impium, & cum qui amat laedere aut iniuriari. Qui e-
nim iustus est, non potest interprobandum non odisse impium & iniquitatis
amatorem.

amatorem. Quo sensu hic uersus per auxilium precedentem explicat. Quod
 domini uidet, & palpebræ eius p̄bant filios hominum, sed sic ut iuste patet
 Ac si quis præ nimia fiducia sese consolatus aduersus impij potentiam, dicit
 Age, faciat, quod facit: Scio q̄ omnia dominus uidet & probat, nec solam
 bat, sed iuste probat & cum iustus sit, impium meum & amantem in iustis
 poterit diligere, me uero patientem nō poterit disle. Sicut Hier. audet
 Quod egrediens est de labijs meis, rectum in conspectu tuo fuit. Et ipse dicit
 ad me, ubi est uerbum domini, ueniat, Hunc acutum & securum affectum
 illa quaestio, Iustus quid fecit? supra indicauit.

*Amant læde-
re impij.*

Iniquitas, hoc loco nomen est, quod, psal. vii. diximus significare iniuriam
 offensam, laesionem, Ut in uerticem ipsius iniquitas descendet, q̄ dicitur
 hamas. Loquitur enim de iniuria, quam impij faciunt pijs, sagittas doctri-
 corde, & destruendo leges dei. Cui hoc pessimum accedit, q̄ non solū laedunt
 sed amant lædere. Sicut psal. iij. Diligunt uanitatē & querunt mendacium.
 Impius enim p̄ suo sensu in id maxime incumbit, ut noceret pietati, quod ubi
 poterit, gaudet sese fecisse & facere. Sicut Proverb. i. dicit: Latātur, cum male
 cerint. Sic enim deo obsequium præstitisse sibi uidentur.

*Anima sua odit,
id est, toto
affectu.*

Et illud Emphaticum est, q̄ non simpliciter dicit, odit, sed anima sua odit,
 ut exprimat, q̄ magno & toto affectu deus illos odiat, uidelicet, tota uita & sen-
 su suo. Non q̄ deus animā habeat, sicut nec oculos, sed q̄ allegorice loquitur.
 Iuxta illud Numeri. xxi. Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Vi-
 demus enim q̄ toto motu & gestu, atq̄ adeo omnibus sensibus auersetur, qui
 nauseat, rursum, q̄ cōuertatur, si diligit & appetat. Appetitus enim, ut nausea
 proprie tribuntur animæ in scripturis. Sic, leui. xxvi. Abominabitur uos ani-
 ma mea. Ita hic, cum impij sese tales arbitrentur, quos deus etiam magno zelū
 desyderet, uere sunt quos abominetur potius & odiat anima eius.

Nostra translatio, animam suā, refert ad impium & diligētē iniquitatem.
 Quæ sententia uera est, sed uiolenta, nec usitata in scripturis sanctis, sapit q̄
 manum diem, qua argute magis q̄ apte dicitur, odisse bonū, qui diligit (id est,
 faciendo diligere uidetur) malum, nemo enim sponte amat malum, ut malum.
 Quod si quis totum uersum nostri interpretis uelit sequi, sensus erit: Dñs qui ui-
 det omnia, & cuius palpebræ interrogāt filios hominum generaliter oēs, sine
 dubio & quolibet iustum & impium seorsum interrogat: Iustum, ut eruditum
 coronet, impium, ut reprobatum damnet, nec hoc sua culpa, quia tua est perdi-
 tio Israel (Osee, xiiij.) Qui enim diligit iniquitatē, ipse odit & perdit animam
 suam, faciens hoc animæ suæ, quod nulli suo hosti, quis acrimo faceret.

Pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur & spiritus pro-
 cellarum pars calicis eorum.

Frequens in scripturis, pluuie & calicis mentio. Atque de pluuia satis con-
 stat, significari per eam, sermonem doctrinæ, ut Deuteronomij, xxxij. Concre-
 scat ut pluuia, doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum. Inde illud Isaie usi-
 tatum: Rorate cæli, & nubes pluant iustum. A quo Doctores Ecclesiæ, Nu-
 bes & cæli uocantur passim in scripturis. Nec est obscurum, hunc uersum
 esse sumptum ex historia Genesis. xix. de Zodomis, igne & sulphure de cæ-
 lo consumptis, cuius rei Allegoriam hoc loco tractat. Et uerba singula, sunt
 multæ intentionis.

Pluet,